

C. IVLI CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBER SEXTUS

[13] [...] ⁴ Illi (Druides) rebus divinis intersunt,

sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur:

ad hos magnus adolescentium numerus disciplinae causa concurrat,

magnoque hi sunt apud eos honore.

⁵ Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt,

et, ⁶ si quod est admissum facinus, si caedes facta, si de hereditate, de finibus controversia est,

idem decernunt, praemia poenasque constituunt;

si qui aut privatus aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt.

Haec poena apud eos est gravissima.

⁷ Quibus ita est interdictum, hi numero impiorum ac sceleratorum habentur,

his omnes decedunt, aditum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant,

neque his petentibus ius redditur neque honos ullus communicatur.

⁸ His autem omnibus druidibus praeest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem.

9 Hoc mortuo aut si qui ex reliquis excellit dignitate succedit,

aut, si sunt plures pares, suffragio druidum, nonnumquam etiam armis de principatu contendunt.

10 Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato.

Huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt eorumque decretis iudiciisque parent.

11 Disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur,

12 et nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi causa proficiscuntur.

[14] 1 Druides a bello abesse consuerunt neque tributa una cum reliquis pendunt;

militiae vacationem omniumque rerum habent immunitatem.

2 Tantis excitati praemiis et sua sponte multi in disciplinam conveniunt

et a parentibus propinquisque mittuntur.

3 Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur.

Itaque annos nonnulli vicanos in disciplina permanent.

4 Neque fas esse existimant ea litteris mandare,

cum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus Graecis litteris utantur.

Id mihi duabus de causis instituisse videntur,

quod neque in vulgum disciplinam efferri velint

neque eos, qui discunt, litteris confisos minus memoriae studere:

quod fere plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant.

5 In primis hoc volunt persuadere, non interire animas,

sed ab aliis post mortem transire ad alios,

atque hoc maxime ad virtutem excitari putant metu mortis neglecto.

6 Multa praeterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate disputant et iuventuti tradunt.